



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Flos Pietatis Matutinæ, Diurnæ, Vespertinæ**

**Monasterii Westphaliæ, [ca. 1735]**

Orationes pro defunctis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46598](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46598)

Securi & tranquilli, semperque festivi  
 atque gaudentes estis: Obsecro vos per  
 vestram charitatem, qui securi estis de  
 vobis, solliciti estote de nobis: Securi  
 estis de vestra immarcessibili gloriâ, so-  
 liciti estote de nostra multiplici miseria.  
 Per ipsum vos rogo, qui vos tales fecit,  
 de cuius beatissima visione semper gau-  
 detis, Amen,

*Si Festum alicujus Sancti incidat, omnia  
 diei opera per Sanctum illius diei Deo  
 offer, & virtutem, quâ Sanctus præ-  
 celluit, imitare.*

*Orationes pro Defunctis.*

*Psalmus 129 Davidis.*

**D**E profundis clamavi ad te Domi-  
 ne: Domine exaudi vocem meam  
 Et aures tuæ intendentes in vocem  
 deprecationis meæ.

Si iniquitates observaveris Domine:  
 Domine quis sustinebit?

C 5

Quia



Quia apud te propitiatio est: Et propter  
legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus:  
Speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem:  
Speret Israël in Domino.

Quia apud Dominum misericordia:  
Et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israël: Ex omnibus  
iniquitatibus ejus. Gloria Patri, & Fi-  
lio &c.

*Psalmus 50.*

**M**iserere mei Deus: Secundum ma-  
gnam misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem misera-  
tionum tuarum: Dele iniquitatem  
meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea:  
Et à peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego co-  
gnosco: Et peccatum meum contra me  
est semper.

Tibi soli peccavi, & malum coram te  
feci:



feci: Ut justificeris in sermonibus tuis  
& vincas cum judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus  
sum: Et in peccatis concepit me mater  
mea.

Ecce enim veritatem dilexisti: In-  
certa & occulta sapientiæ tuæ manife-  
stasti mihi.

Asperges me hyssopo, & mundabor:  
Lavabis me, & super nivem dealba-  
bor.

Auditui meo dabis gaudium & læti-  
tiam: Et exultabunt ossa humiliata.

Averte faciem tuam à peccatis meis:  
Et omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: Et  
spiritum rectum innova in visceribus  
meis.

Ne projicias me à facie tua: Et Spi-  
ritum sanctum tuum ne auferas à me.

Redde mihi lætitiā salutaris tui: Et  
spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas; Et impii  
ad te convertentur.

Li-



Libera me de sanguinibus Deus,  
Deus salutis meæ: Et exultabit lingua  
mea iustitiam tuam.

Domine, labia mea aperies: Et os  
meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium, de-  
dissem utique: Holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus:  
Cor contritum & humiliatum Deus  
non despicias.

Benigne fac Domine, in bona voluntate tua Sion: Ut ædificentur muri Jerusalem.

Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ,  
oblaciones & holocausta: Tunc imponent super altare tuum vitulos, Gloria Patri &c.

*Oremus.*

**D**Eus, veniæ largitor, & humanæ  
salutis amator: Quæsumus clementiam tuam, ut nostræ congregationis fratres, propinquos & benefactores, qui ex hoc sæculo transierunt, beatâ  
Ma-

Ma-



Mariâ semper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis consortium pervenire concedas.

**F**idelium, Deus, omnium conditor & Redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem curætorum tribue peccatorum: Ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum. *℞.* Amen.

*℣.* Requiem æternam dona eis Domine.

*℞.* Et lux perpetua luceat eis.

*℣.* Requiescant in pace. *℞.* Amen.

*Pro defuncto vel defuncta.*

**A**bsolve, quæsumus Domine, animam famuli tui N. (famulæ tuæ N.) ut defunctus (defuncta) sæculo, tibi vivat: Et quæ per fragilitatem carnis humanâ conversatione commisit, tu venia misericordissimæ pietatis absterge. Per Dominum nostrum &c.

*Pro*



*Pro Patre vel Matre defuncta.*

**D**eus, qui nos Patrem & Matrem honorare præcepisti: Miserere clementer animæ Patris mei N. (Matris meæ N.) meque eum (eam) in æternæ claritatis gaudio fac videre. Per Dominum &c.

P R A X I S

*Piè prandendi.*

*Ad mensam vocatus, inter eundum cogita: Volo comedere & bibere ad honorem Jesu & Mariae, vel quia est voluntas Dei.*

*Benedictio mensæ.*

**O**Culi omnium in te sperant Domine, & tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam & implet omne animal benedictione. Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto: Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

Kyrie eleison, Chritte eleison,  
Kyrie eleison. Pater noster &c.

*Ore.*